

Sixtus V.

konstituace "Postquam verus ille" 3. XII. 1586  
(reforma kardinálského kolegia)

Bull. Rom. Taur.

VIII (Torino 1863)

s. 808-816

LXXVI.

De S. R. E. cardinalium credendorum  
praestantia, numero, ordine, delectatione  
qualitatibus, et de optione sedis  
cardinalium ecclesiarum, quae cardinalibus  
conferuntur.

Sixtus episcopus, servus servorum Dei  
ad perpetuam rei memoriam.

Postquam verus ille, atque aeternus Pa-  
stor et Episcopus animarum Christus Do-  
minus ad gubernandam universalem Ec-  
clesiam, quam suo pretioso Sanguine ac-  
quisivit, apostolorum principi B. Petro  
coelestis simul ac terrenae tradidit pleni-  
tudinem potestatis, eique suas in terris  
vices commisit, sicut in cathedra ipsius  
Petri successor et verus Christi vicarius  
Romanus Pontifex, divina praedestinatione  
eiusdem supremae apostolicae dignitatis  
fastigium et locum in terris tenet, ita  
etiam sacrosanctae Romanae Ecclesiae car-  
dinales repraesentantes personas sancto-  
rum apostolorum, dum Christo Salvatore  
regnum Dei praedicanti atque humanae  
salutis mysterium operanti ministrarent,  
eidem Pontifici in executione sacerdotalis  
officii, et in dirigenda ipsa Ecclesia ca-  
tholica, cui praesit, consilium et coadiu-  
tores assistunt, quasi oculi et aures ac  
nobilissimae sacri capitis partes, et prae-

cipua illius membra a Spiritu Sancto constituta, qui in hac ipsa ecclesiastica hierarchia, divina dispositione, instar illius caelestis, cui ex altera parte respondet, ordinata, ad altissimum gradum evecti, cum ipso Romano Pontifice communi patre ac pastore, ad quem ex omnibus undique gentibus ac nationibus in gravissimis maximeque arduis rebus fideles omnium generum, omnium ordinum, summi, et infimi, quotidie confluunt, tanti ponderis molem atque onus populorum sustineant, et pro animarum salute, pro fide, pro iustitia, pro unitate assidue invigilent ac laborent; qui circa ipsum universali Ecclesiae serviendo, singularum ecclesiarum commoditatibus se impendant, quorum consilio idem Pontifex agenda disponat, quorum opera, et necessaria et plurimum fructuosa universae reipublicae christianae in secundis rebus ornamento et commodo, in dubiis praesidio et adiumento esse possit. Qui denique pro exaltatione catholicae religionis, pro pace et quiete christiani populi, pro augmento et honore sanctae Sedis Apostolicae sanguinem, si ita res ferat, et spiritum constanter effundant.

§ 1. Cum itaque ipsi veri cardines sint, et clarissima Ecclesiae lumina, templi Dei bases, firmamenta et columnae christianae reipublicae, singulari quadam pietate ac doctrina, nec vulgari aut mediocri, sed insigni atque eximia virtute abundare debent, ut, quam gerunt, personam digne et honorifice valeant sustinere. Ac quemadmodum praecipuae sunt partes summi Romani praesulis in iis asciscendis exquisitam adhibere diligentiam, et accurata circumspectione providere ut viri optimi ac lectissimi assumantur, et vel in hoc potissimum necessitati atque utilitati totius Ecclesiae sibi commissae consulatur, ita etiam praelati ceteraque personae ecclesiasticae ad tantae dignitatis sublimi-

tatem promovendi, anteactae vitae laude atque excellenti quadam et rara meritorum commendatione prae ceteris fulgeant, necesse est ut hoc amplissimo honore digni habeantur. Siquidem eorum vita ac mores ceteris exemplo esse debent, verba et responsa pro oraculis, monita ac praecpta ab universis christianis regulae et norma recte vivendi recteque sentiendi existimantur, ab iis quasi sapientissimis magistris ecclesiasticae disciplinae forma suscipitur, quae ad mores vitamque cunctorum fidelium componendos longe lateque diffusa propagatur. Ipsi denique vere sunt sal terrae, ac lucernae positae super candelabrum, ut inter sanguinem et sanguinem, causam et causam, lepram et lepram discernant, ac doctrinae opportunitate et veritate infirma confirmant, disrupta consolidant, depravata convertant, luceant omnibus qui in domo Domini habitant, ac primae hinc Sedis assistentes, cunctos pastores, dum in gravioribus negotiis eandem Sedem consulunt, eiusve opem implorant, suo iudicio, consilio et auctoritate instruere dirigere ac docere non cessent. Ceterum cum non solum ad eos spectet plurima et maxima momenti negotia et causas, quae eis in dies committuntur, praeclara fide et prudentia cognoscere, ac legationibus in provinciis gubernandis, et in gravioribus rebus saepius ad reges et imperatores perfungi:

§ 2. Sed, quod omnium caput et summa est, ex eorum corpore, numero et collegio ille ipse, qui cunctis pastoribus est praesciendus, ac totius Domini regis curam habiturus, Summus Pontifex deligatur, iidemque illum suis suffragiis creent, qui tunc demum publico bono christiani populi, optimus sine ulla dubitatione existet, si e numero et suffragiis honorum deligatur. In hac sacra electione censendi sunt veri interpretes atque inter-

Pontifex igitur viros optimos et lectissimos cardinales creare debet,

Præsertim quia ex collegio cardinalium creandus est Summus Pontifex.

nuntii voluntatis Dei, cuius spiritu sicut universum Ecclesiae corpus sanctificatur et regitur, ita maxime hoc totum huiusmodi electionis opus eiusdem afflatu et instinctu absolvi certissimum est atque omnibus exploratum, ut vel ex hoc ipso perspicui possit quanta in eis requiratur puritas et sinceritas ab omni carnis affectu, privatorum commodorum cura et factionum studiis aliena, quorum pectora et voces, templa et organa futura sint Spiritus Sancti, et ex quibus quasi seminibus is sit proditurus, in quem totius apostolicae potestatis plenitudo, Deo annuente, merito conferatur.

Ideo hanc de-  
super edit con-  
stitutionem, vi-  
delicet:

§ 3. Quapropter, ut tanti muneris amplitudo ea, qua decet, observantia et admiratione apud cunctos mortales honoretur, et in quos ob celsitudinem gradus, omnium oculi, omnium ora convertuntur, in eis summae dignitati par claritas et splendor eluceat, atque in eis glorificetur Deus, honorificetur sacerdotale ministerium, et animae fidelium laetificentur, certe sacris amplissimis huius honoris insignibus ii demum decorandi videntur, qui eximia eruditione, innocentia ac sanctitate et omni virtutum genere a vero solidorum honorum largitore Deo supra ceteros fuerint illustrati. Proinde nos, postquam placuit divinae bonitati imbecillitatem nostram ad summi apostolatus apicem vocare, inter ceteras, quas pro honore universalis Ecclesiae, his maxime turbulentis temporibus, dies noctesque suscipimus curas et cogitationes, hanc ipsam pontificia nostra sollicitudine dignissimam iudicavimus, ut ad communem salutem et profectum christiani populi nostrae curae crediti, ac ad ipsius sanctae Romanae Ecclesiae decus et ornamentum circa cardinalium electionem atque assumptionem, tam a praedecessoribus nostris quam a nobis hactenus editas sanctiones et decreta expendere-

mus; in quibus, licet pleraque salubriter ac prudenter disposita et ordinata fuerint, quia tamen res humanae facile in deterius prolabantur, nisi sit qui eas assidue renovet atque conservet, easdem illas sanctiones et decreta partim innovando, partim declarando, partim pro rerum et temporum exigentia supplendo et in melius reformando, habita super his cum venerabilibus fratribus nostris eiusdem S. R. E. cardinalibus deliberatione matura, de eorumdem fratrum consilio et unanimi consensu, hanc nostram perpetuo valituram constitutionem duximus promulgandam, qua et nosmetipsos in re tam gravi nostri muneris admonemus, et quam nobis legem imponimus, eandem nostris successoribus indicamus, quos et sui officii non immemores fore confidimus, et se aliquando in districto ac tremendo Dei iudicio suae villicationis rationem esse reddituros, Apostolo dicente: *Omnes stabimus ante tribunal Christi; et unusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo.*

§ 4. Primum igitur cum, ita exposcente rerum ac temporum qualitate et occasione, recessum fuerit a veteri illo more admodum paucos viros in sacrum collegium adscribendi, iamque plures nostra aetate cardinales, quam antiquitus in ipsum collegium cooptari consueverint, tum ut iuxta generalis concilii Tridentini decretum omnium christianitatis nationum ratio habeatur, tum quia in eodem collegio multi, quae est humani corporis infirmitas, senectute vel morbis frequenter gravati, haud commode tanto oneri assidue sustinendo sufficere queunt; ut in hoc moderatio congrua adhibeatur, et certi limites praescribantur, ne vel ad veterem illam paucitatem eos redigamus, vel rursus eorum honor nimia ac superflua numerositate vilescat, quod interdum et nos ipsi, dum in minoribus essemus,

Cardinales  
non sint plu-  
res quam se-  
ptuaginta, et  
lectio promo-  
vendorum ultra  
hunc numerum  
nulla sit;

vidimus et experti sumus. Ac, ut veteris synagogæ figura sanctae et Apostolicae Ecclesiae veritati respondeat, sequi cupientes mandatum Domini factum ad Moysen, de congregandis septuaginta viris de senibus Israël, quos nosset senes populi esse et magistros, ut secum onus populi sustentarent, et non ipse solus gravaretur, super quos ad ostium tabernaculi ductos, loquente Domino, Spiritus requievit: de praedictorum fratrum nostrorum consilio, perpetuo statuimus et ordinamus ut in posterum, connumeratis omnibus cuiusque ordinis episcopis, presbyteris et diaconis cardinalibus, qui nunc sunt, quique in futurum creabuntur, cuncti simul numerum septuaginta nullo unquam tempore excedant, ac talis numerus quovis praetextu, occasione vel causa, etiam urgentissima, minime augeatur. Quod si unum vel plures a nobis vel pro tempore existente Romano Pontifice in futurum ultra dictum numerum eligi in cardinalem aut creari aut pronuntiari contigerit, decernimus huiusmodi electionem, creationem et pronuntiationem nullam, irritam et inanem fore et censendam esse, nullumque ius seu titulum re aut nomine sic electo seu electis acquiri, neque eorum quemquam pro cardinali haberi aut reputari posse aut debere, neque dictam electionem, creationem, pronuntiationem, ab initio invalidam et ultra numerum factam, si postea ad praescriptum numerum, moriente uno vel pluribus cardinalibus, ipsum collegium redigatur, propterea ex post facto convalescere, sed uti a principio, sic deinceps in perpetuum nullius fore roboris vel momenti.

§ 5. Quoniam vero iam inde ab antiquissimis etiam apostolorum temporibus diaconorum ordo ad inserviendum et ministrandum in Ecclesia Dei ex magna providentia dignoscitur institutus, et pro

Sintque ex ois  
episcopi sex,  
presbyteri L et  
diaconi xlv;

temporum varietate modo maior, modo minor numerus esse consuevit, ita ut aliquando septem, interdum quatuordecim, quandoque vero decem et octo diaconi fuerint, et tamen hoc tempore tum propter eorum parvum numerum, tum propter aliquorum absentiam a Romana Curia, adeo pauci reperiantur ut eorum officio satisfacere nequeant; immo saepius presbyteri cardinales loco diaconorum, contra patrum instituta, Pontifici assistere et ministrare cogantur; idcirco statuimus ut ex praedicto numero cardinalium, diaconi quatuordecim, reliqui omnes, praeter sex episcopos, presbyteri sint et esse debeant.

§ 6. Neque posthac quispiam in diaconum cardinalem assumi possit, nisi saltem in vigesimo secundo suae aetatis anno fuerit constitutus, ita ut omnino intra annum ad sacrum diaconatus ordinem valeat et debeat promoveri, alioquin si, anno elapso, ad ipsum diaconatus ordinem promotus non fuerit, eo ipso tam in consistorialibus et omnibus alijs actibus et negotiis cardinalitatis, quam etiam iuxta constitutionem felicis recordationis Pii Papae quarti, praedecessoris nostri, super reformatione conclavis editam, in electione Romani Pontificis voce activa et passiva omnino careat, ac privatus existat.

Diaconi cardinales non sint minores xlv, et infra annum ad ordinem diaconatus promoveri debent, alias voce carent activa et passiva;

§ 7. Diaconorum autem numerus sic praefinitus perpetuo retineatur, ac diaconi in eodem ordine semper remaneant; et si qui eorum ex devotionis fervore ad presbyteratus ordinem promoti fuerint, semper tamen in eodem diaconatus ordine et officio ministrent, et suum locum inter diaconos cardinales teneant, donec ex cardinalibus de novo creandis sive eligendis, alii diaconi praedictum numerum suppleant, et in eorum locum subrogentur ac substituuntur. Quo casu antiquiores diaconi ad presbyteratus ordinem

Diaconi ex fervore devotionis ad presbyteratum promoti, remaneant inter diaconos, quousque ex cardinalibus de novo creandis suppleatur numerus xlv diaconorum;

promoti, ad presbyteros cardinales transire atque inter eos sedere valeant et connumerari.

Diaconorum prior aut sequens, si sit legitima aetatis, in quarta vacatione sex ecclesiarum episcopalis, promoveatur ad ecclesiam vacantem, et in illis tribus vacantibus antiquior promoveatur presbyter.

§ 8. Ut vero diaconos cardinales, qui in sua vocatione permanserint, et in ministerio ordinis sui perseveraverint, maioribus honoribus prosequamur, volumus ut cum aliquam ex sex cathedralibus ecclesiis, quibus episcopi cardinales praesunt, primo, secundo et tertio per obitum vel translationem aut alias pro tempore vacare contigerit, antiquior quidem presbyter cardinalis praesens, salvo cuique episcopo cardinali iure transeundi ad eam, dimissa priore cui praerat, ut moris est, promoveatur; sed ubi post tres vacationes, tres itidem ex ipsis presbyteris cardinalibus in episcopos praefecti fuerint, tunc si quarta alicuius harum ecclesiarum vacatio contigerit, excluso, ea tantum vice, antiquiore presbytero, prior diaconorum cardinalium, qui praesens fuerit et in aetate legitima constitutus, vel si ille noluerit aut nequiverit assumi, sequens diaconus eisdem qualitatibus praeditus, ad eam promoveatur; et ita deinceps in huiusmodi vacationibus sex ecclesiarum praedictarum perpetuo observetur, ut post tres presbyterorum ad dictas ecclesias promotiones, quarta occurrente vacatione, prior diaconorum aut sequens, ut praefertur, in episcopum praeficiatur.

In hoc lxx cardinales praefatos assumantur saltem quatuor magistri in theologia;

§ 9. Inter hos septuaginta cardinales, praeter egregios utriusque iuris aut decretorum doctores, non desint aliquot insignes viri in sacra theologia magistri, praesertim ex regularibus et Mendicantium Ordinibus assumendi, saltem quatuor, non tamen pauciores.

Creari possint cardinales in diebus ieiuniorum mensis decembris dumtaxat;

§ 10. Antiquum vero Clementis, Anacleti, Evaristi, Alexandri et aliorum sanctorum Pontificum praedecessorum nostrorum morem, per sexcentos et amplius annos continuata serie observatum, sequi volentes, ac decretum alias per nos in

nostro consistorio editum innovantes, perpetuo sancimus tempus creandorum cardinalium seu promotionis ad cardinalatus honorem faciendae, mense decembris dumtaxat, in ipsis temporibus seu diebus ieiuniorum et non aliis, esse debere.

Promoveantur quoque idonei ex omnibus nationibus christianis quantum commode fieri poterit;

§ 11. Ut autem ipsi cardinales in regimine universalis Ecclesiae nobis et pro tempore existenti Romano Pontifici utiliter assistere valeant, ac de omnibus christianorum regnorum provinciarumque moribus, rebus et negotiis prompte et fideliter certa ab eis notitia, pro rerum emergentium opportunitate, habeatur, praedicti concilii Tridentini decreto inhaerentes, statuimus ut ex omnibus christianitatis nationibus, quantum commode fieri poterit, idonei assumantur.

Illegitimi, etiam per subsequens matrimonium legitimitati, aut super defectu natalium auctoritate apostolica consecuti dispensationem, inhabiles sint ad cardinalatum;

§ 12. Praeterea, qui cardinales creandi erunt, legitimis et honestis sint exortu natalibus, neque ulla prorsus labe aut illegitimorum natalium suspicione quovis modo laborent, sed omni macula et impuritate careant; alioquin ad tam eminentem dignitatis gradum penitus inhabiles et illius incapaces sint et esse censeantur. Quocirca considerantes quod, licet tanta sit vis et efficacia Sacramenti Matrimonii, quod, Apostolo teste, magnum est in Christo et in Ecclesia, ut qui antea geniti erant, ex soluto et soluta, inter quos rite matrimonium constare poterat, post illud contractum legitimi habeantur, in nonnullis tamen provinciis et dominiis nobilitatis privilegiis non gaudent, nec ad saecularia officia, honores et dignitates neque ad nobilium feudorum et statuum successiones admittuntur, quodque multo magis indecorum videretur, et ab Apostolicae Sedis dignitate alienum, si huiusmodi illegitimi, per sequens matrimonium, ut praefertur, legitimitati, in cardinales assumerentur, ac cardinalatus celsitudo et splendor, qui dignitati regiae comparatur, facile deprimi, commaculari

aut quodammodo inobscurari posset. Ideo, ut puriori dignitati puriores natales respondeant, quoscumque illegitime natos, quorumvis, etiam magnorum principum, etiam ducali aut maiori, etiam regia et imperiali auctoritate fulgentium, filios, quocumque gradu, dignitate et præeminentia præditos, etiam genitos ex soluto et soluta, inter quos tunc matrimonium constare poterat, ac postea per subsequens matrimonium, etiam rite et solemniter in facie Ecclesie contractum, vel alias legitimatos et quomodolibet habitatos et natalibus restitutos ac quorumvis honorum capaces effectos, etiam si cum eis, ut hanc ipsam dignitatem obtinere valeant, super defectu natalium fuerit expresse et in specie auctoritate apostolica quomodolibet dispensatum; nihilominus prædictae cardinalatus dignitatis prorsus incapaces, et ad eam obtinendam perpetuo inhabiles decernimus ac declaramus.

§ 13. Sed et insuper prohibemus ne ii, quos propter defectus, vitia aut impedimenta quaecumque ad sacros ordines secundum canonicas sanctiones promoveri fas non est, etiamsi cum ipsis dicta auctoritate apostolica fuerit dispensatum, neve alicuius criminis aut infamiae nota respersi, in cardinales ullo umquam tempore assumantur.

§ 14. Ceterum, ut non solum honore, sed etiam re ipsa cardines sint, super quibus ostia universalis Ecclesie tutionantur, divinaque et humana ministeria sibi commissa utilius exequi possint, statuimus ut lectissimi et præcellentes viri in ipsum collegium adscribantur, et quorum vitæ probitas, morum candor, præstans doctrina et eruditio, eximia pietas et erga salutem animarum ardens studium et zelus, in dandis consiliis sincera fides et integritas, in rebus gerendis singularis prudentia, constantia et auctoritas et aliae

qualitates a iure requisitæ, tam ipsi pontifici quam universo collegio cognitæ et probatæ sint.

§ 15. Ac proinde, ne homines sacram rerum plane imperiti et rudes atque ecclesiasticarum functionum ignari, quasi in Ecclesia Dei hospites et peregrini, statim huiusmodi muneri præficiantur, iuxta decretum iam pridem a nobis in prædicto consistorio nostro sancitum, quod pariter harum serie innovamus, districte interdicens ne quis ullatenus ad cardinalatus honorem assumi queat, nisi qui, antea clericali caractere insignitus, et in quatuor minoribus ordinibus constitutus, per annum saltem habitum et tonsuram gestaverit clericalem.

§ 16. Cum autem ad hunc honorem adeo sublimem promovendi omni virtutum, et præsertim castimonie laude, supra ceteros plurimum eminere debeant; qui vero filios, etiam legitimos, ex uxore sua alias dignoscitur suscepisse, certum nequeat suae testimonium continentiae exhibere, et pater erga proprios filios naturali affectu nimia quadam propensione feratur, verendumque sit ne propterea variis propriae domus negotiis ac multiplici liberorum cura distractus, Ecclesie negotia sibi credita aut negligenter tractet aut minus sollicitè et fideliter, quam par est, eiusdem Ecclesie iura tueatur; prohibemus ne aliquis, qui utriuslibet sexus filium seu filios, etiam ex legitimo matrimonio susceptos, vel nepotem seu nepotes ex eis habeat, ullatenus in cardinalem assumi aut promoveri possit.

§ 17. Insuper, ut factionum fomitem et simultatum ansam ex sacro hoc coetu, quantum cum Domino possumus, amputemus, decretum pie memorie Iulii Papae III, prædecessoris nostri, in sacro olim consistorio editum, approbantes et declarantes, similiter perpetuo interdicens ne ullo umquam tempore assumatur

Clericali etiam caractere insigniti, et in iv minoribus ordinibus constituti, per annum saltem ante promotionem habitum et tonsuram gerere tenentur.

Filius utriuslibet sexus, etiam ex legitimo matrimonio vel ex eo nepotem habentes, promoveri nequeunt ad cardinalatum.

Frater, etiam ex uno parente germanus, vel patruelis consobrinus aut emitimus alicuius cardin. viventis, card. esse non possit.

Non secus ac qui ad sacros ordines promoveri non possunt;

Promovendi ad cardinalatus doctrina, vitæ probitate et aliis qualitatibus a iure requisitis præstare debent;

aliquis posthac in eiusdem S. R. E. cardinalem, qui frater ex utroque vel alterutro parente germanus existat alterius cardinalis viventis, ita ut eodem tempore duo fratres germani in eodem collegio nullatenus esse possint. Quinimmo, idem decretum extendentes et ampliantes, prohibemus quoque ne, patruеле, vel amitino aut consobrinio cardinali vivente, alter eius patruelis vel amitinus aut consobrinus ad cardinalatum valeat promoveri.

Patruus aut avunculus nepotis ex fratre vel sorore cardinalis viventis prohibentur assumi ad cardinalatū. talis nepos patruel et avunculi.

§ 18. Sed et pari ratione sancimus ne patruo aut avunculo cardinali vivente eius ex fratre vel sorore nepos, nec rursus nepote ex fratre vel sorore cardinali existente, illius patruus aut avunculus, nec ullus denique alius, qui primo aut secundo tantum consanguinitatis gradu alicui cardinali viventi coniunctus sit, quamdiu is vixerit, in cardinalem assumi possit. Ita ut omnes et singuli praedicti, tam pater filios aut nepotes habens, quam fratres germani, patrueles, amitini, consobrini, patruus, avunculus, nepos ex fratre vel sorore, et quivis ut supra primo aut secundo gradu coniunctus alter altero cardinali vivente, ad cardinalatum inhabiles, et illius incapaces sint et censeantur; neque eorum aliquis cardinalis creari valeat; neque adversus hanc prohibitionem ex quacumque, etiam urgentissima, causa cum eis liceat dispensari. Et nihilominus electio, creatio ac promotio cardinalium huiusmodi contra praesentem prohibitionem aut interdictum facta et attentata, nulla, irrita et inanis sit eo ipso, ac cum omnibus inde secutis nullius sit roboris vel momenti.

Absentes a Curia ad cardinalatū promovendi, creati debent, adlecta conditione ut infra annum Apostolorum limina visitare

§ 19. Postremo, attendentes proprium esse eorumdem cardinalium munus assistere, ut praemittitur, Christi in terris vicario, eique in regenda Ecclesia catholica consilium et operam assidue praestare, atque cum eo Ecclesiae necessitatibus providere, ipsosque tum ad id ex ipsius

officii debito, tum ex sanctorum patrum decretis teneri, ac propterea absurdum esse cardinales procul ab ipso Pontifice vitam agere, et locum mansionemque suam in Ecclesia Dei adeo praecelsam contra huiusmodi officii debitum et in suarum perniciem animarum negligere ac deserere; inhaerentes decreto similiter a nobis in consistorio nostro dudum desuper promulgato, de eorumdem fratrum consilio, statuimus et ordinamus ne quis in posterum a Romana Curia absens cardinalis creetur aut pronuncietur, nisi hac adiecta conditione ut intra annum in Romanam Curiam venire et Apostolorum limina visitare teneatur; necnon, antequam biretum rubrum, quod a Romano Pontifice de more benedici ac per certum nuncium mitti solet, ei tradatur, illiusve capiti imponatur, iuret in manibus personae alicuius in dignitate ecclesiastica constitutae, cui id negotii datum fuerit, se intra annum a die praestiti iuramenti numerandum, omni mora postposita et impedimento remoto, ad Urbem vel alio ubi Romana Curia eo tempore fuerit, personaliter adventurum, ut sistat se nobis aut pro tempore existenti Romano Pontifici, et sanctae Sedi Apostolicae, cuius obsequiis erit adscriptus, et quamdiu ipsi Pontifici visum fuerit, muneri suo incumbat: atque ita de legibus, moribus, consuetudinibus ac toto statu eiusdem Sedis plene instruat, atque ad ecclesiae seu provinciae, cui forsitan praerit, necessitates sublevandas, abusus tollendos, mores reformandos, ecclesiasticam disciplinam, siqua ex parte labefacta fuerit, restituendam, opportuna et salutaria consilia ab ipsius Pontificis paterna caritate, sapientia et vigilantia recipiat, et pro viribus exequatur. Cuius quidem iuramenti, postquam per eum praestitum fuerit, publicum inde instrumentum conficiatur, et in forma authentica ad nos vel nostri pro tempore

teneantur, et ante consignationem bireti rubri eius a Pontifice transmittendi, id facerent et observent; alias cardinalatus honore privati censeantur.

successorem, nulla interposita mora, transmittatur. Quod si forte id iurare recusaverit, volumus ut biretum rubrum ei omnino denegetur, ac nequaquam tradatur, sed ipso facto, absque alia declaratione vel decreto, cardinalatus honore privatus existat, atque habeatur, in omnibus et per omnia, ac si numquam in cardinalem assumptus vel promotus fuisset. Inhabilis quoque ad eandem dignitatem postea obtinendam et illius incapax efficiatur. Sin autem iuret ac biretum rubrum accipiat, sed tamen postea ad Urbem et Romanam Curiam, ut praefertur, intra annum a die praestiti iuramenti non comparuerit, tunc pariter, absque alia declaratione, cardinalatus dignitate, officio, titulo, denominatione atque omnibus et quibuscumque illius insignibus, facultatibus, privilegiis aut auctoritatibus careat eo ipso, et perpetuo privatus sit et esse censeatur, perinde ac si numquam inter cardinales cooptatus fuisset, nec biretum rubrum accepisset. Quod quidem biretum post id tempus confestim deponere omnino teneatur.

Decretum irritans.

§ 20. Decernentes sic in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices et commissarios, etiam causarum Palatii Apostolici auditores et ipsos S. R. E. cardinales, in quavis causa et instantia, sublata eis et eorum cuique quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; necnon irritum et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulae derogatoriae.

§ 21. Non obstantibus apostolicis ac in generalibus conciliis editis constitutionibus et ordinationibus, etiam certum alium eorumdem cardinalium numerum praescribentibus, aut alias super praemissis disponentibus, quas omnes, quatenus praesenti constitutioni in aliquo adversantur, illarum tenores pro plene ac sufficienter

expressis habentes; etiam si de illis specialis, specifica, expressa ac individua de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio facienda esset, omnino abrogamus, abolemus et annullamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 22. Ceterum, ut praesentes litterae omnibus innotescant, mandamus illas ad valvas Lateranensis et Principis Apostolorum de Urbe basilicarum, atque Cancellariae Apostolicae et in acie Campi Florae more solito publicari et inibi affigi, et per aliquod temporis spatium dimitti; eisque detractis, earum exempla eo in loco relinqui. Ac volumus ut illarum transumptis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo praelati vel personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, in iudicio et extra illud, ubi opus fuerit, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis originalibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Forma publicandi adosque transumptorum.

§ 23. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam etc. Siquis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum etc.

Sanctio poenalis.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo octuagesimo sexto, tertio nonas decembris, pontificatus nostri anno II.

† Ego Sixtus Catholicae Ecclesiae episcopus.

Papae subscri.

*De ventre matris meae tu es Deus protector meus.*

† Ego A. card. Farnesius, vice-cancellarius, episcopus Ostien.

Cardinalium subscriptiones.

† Ego Iac. card. Sabellus, episcopus Portuensis.

† Ego Io. Ant. card. S. Georgii, episcopus Tusculanus.

† Ego Io. Franciscus card. de Gambara, episcopus Praenestinus.

† Ego Inn. Avaluus card. de Aragon. episcopus Sabinensis.

† Ego Marcus Siticus card. de Altaemps.

† Ego Marcus Ant. card. Columna.

† Ego P. card. Sanctacrucius.

† Ego Gabriel card. Paleottus.



- † Ego frater Michael Bonel. card. Alex.  
 † Ego Ludovicus card. Madrutius.  
 † Ego Nicol. card. Senon. tt. S. Praxedis.  
 † Ego Iul. A. Sanctorius card. S. Severinae.  
 † Ego Hieronymus card. Rusticutius.  
 † Ego Io. Hieronymus card. Albanus.  
 † Ego Hieronymus card. Simoncellus.  
 † Ego P. card. Deza.  
 † Ego Io. Antonius card. Caraffa.  
 † Ego Io. Antonius card. SS. Quatuor.  
 † Ego Io. Baptista card. S. Marcelli.  
 † Ego Iulius card. Cananius.  
 † Ego Antonius card. Salviatus.  
 † Ego Augustinus card. de Verona.  
 † Ego Vincentius card. Montisregalis.  
 † Ego Philippus card. Spinola.  
 † Ego Georgius card. Razivil.  
 † Ego Scipio card. Lancellottus.  
 † Ego Vincentius card. Gonzaga.  
 † Ego Io. Baptista Castrucius, Signaturae iustitiae praefectus.  
 † Ego Federicus card. Cornelius.  
 † Ego Hippolytus de Rubeis card. Paviae.  
 † Ego Decius card. Azzolinus.  
 † Ego Hippolytus card. Aldobrandinus, maior poenitentiarius.  
 † Ego Ferd. card. de Medicis.  
 † Ego Philippus Vast. card. Camerarius.  
 † Ego Andreas card. Battorius.  
 † Ego A. card. Montaltus.

Dat. die 3 dec. 1586, pontif. anno II.

*Sequitur declaratio dictae constitutionis.*

§ 24. Sanctissimus D. N. dixit quod cum in constitutione seu bulla Sanctitatis Suae alias super creatione sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium edita, volens diaconos cardinales, qui in sua vocatione permanserint, et in ministerio sui ordinis perseveraverint, maioribus honoribus prosequi, inter alia statuerit ut post tres vacationes sex ecclesiarum cathedralium, quibus episcopi cardinales praesunt, quarta vacatione alicuius ex eis occurrente, prior diaconorum cardinalium, qui praesens fuerit et in aetate legitima constitutus, vel si ille nolisset aut nequivisset assumi, sequens diaconus eisdem qualitatibus pra-

ditus, ad ecclesiam huiusmodi cathedralem, ut praefertur, vacantem, promoveretur, et ita deinceps servaretur, prout in eadem constitutione plenius continetur.

§ 25. Agnoscensque idem S. D. N. mentis suae in ea constitutione fuisse non ut novus vel forte paucos ante annos creatus diaconus cardinalis, ad aliquem ex dictis episcopatibus seu ecclesiis, quibus seniores presbyteri cardinales praefici solent, promoveatur, sed qui diu in suo ordine et vocatione (ut verba eiusdem constitutionis aperte demonstrant) permanserit, et in ministerio sui ordinis perseveraverit, is tali ecclesiae praeficiatur; ac providere cupiens ne forte in futurum dubitari contingat de quanti temporis cursu perseverantia illa in diaconatus ordine et in ministerio intelligatur.

§ 26. Eadem Sanctitas Sua, in eodem consistorio suo secreto habito supradicta die, de venerabilium fratrum suorum S. R. E. cardinalium unanimi consilio et assensu, sua apostolica auctoritate, declaravit et decrevit ut prior diaconorum cardinalium, seu alius sive immediate seu successive sequens diaconus cardinalis, quarta occurrente vacatione, ut praemititur, ad dictam ecclesiam seu episcopatum ex sex praedictis vacantem, assumi seu promoveri possit, exigi et requiri debere ut integros annos saltem decem, et non pauciores, in suo diaconatus ordine permanserit, et in illius ministerio perseveraverit, etiamsi numerus xiv diaconorum cardinalium non sit expletus, dummodo ad minus decem diaconi tunc existant, prout declaravit et decrevit.

§ 27. Ac sic in praemissis etc. per quoscumque etc. etiam ipsos S. R. E. cardinales etc. sublata eis etc. aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; necnon irritum et inane quidquid secus etc. contigerit attentari similiter decrevit.

Datum Romae apud S. Petrum, die mercurii xxv novembris MDLXXXVI, in consistorio secreto.

Dubium posset excitari, quod tempore quo diaconus cardinalis debet perseverare in diaconatu ante quam possit promoveri ad episcopatum de quibus in dicta bulla.

Declaratio dictae dubii.

Clausula subacta aliter iudicandi potest.

Enarratio dictae bullae in parte hinc declaranda.

